BERNARDUS AYGLERIUS

1438

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37192
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

quia est fortior indigente. et ideo non indigens non debet de sua
fortitudine murmurare. sed potius gratias agere. Et indi
gens debet pro infirmitate humilis esse non pro inopia superbire.
Et ita omnia membra erunt in pace. Omnia membra et cetera
Abbas personas non considerando. sed infirmitates pensan
do. minus accipiens. quia minus indiget. non murmurando
plus recipiens. de sua se infirmitate humiliando
ita omnia membra erunt in pace.

Ante omnia ne murmuratio nis malum pro qualicumque causa in aliquo qualicumque verbo vel significatione appareat.

Ante omnia et cetera. Quia videtur aliqua causa murmuratio
nis ex inequalitate distributionis membris infirmis
quantumcumque administrasse. propterea facit de murmuratione
vitio mentionem. Quod autem dicitur Ante omnia. subaudit
paulus diaconus intelligendum est. sed alias istud
verbum in superioribus expositum fuit. Murmurationis
malum quantum sit Apostolus exprimit cum penam filiorum
israel murmurantium ad memoriam reducit dicens. Neque
murmuraveritis sicut quidam murmuraverunt. et a serpen
tibus perierunt. Murmurationis autem proprium contagio
sum est. quia non solum inficit murmurantem. sed etiam
murmur audientem. et eum scandalizat. contristat quod mur
muratur. et ideo bene appellat murmurationis malum. Quod
vero ait pro qualicumque causa. maiorem et minorem exprimit
causarum. quas etiam stringit. in aliquo qualicumque verbo vel